



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus I. Argumentum. Patronus potest recipere Candelam in die Purificationis à Monachis Cisterciensibus, illam sponte dantibus, & exigere ab illis ea, quæ sibi competunt ratione Jurispatronatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)



## COMMENTARIUM.

EX hoc Canone sequens deducitur conclusio.

PATRONI OCCASIONE JURISPATRONATUS A MONASTERIIS ORDINIS CISTERCIENSIS QUIDQUAM EXIGERE NON POSSUNT, NEC IN DOMIBUS ORDINIS CARNES COMEDERE, NEC MULIERES INTRODUCERE = Quam conclusionem probant etiam *Canon. IV. Par. I., Canon XXVII. Par. II., & Canon V. & XII. Par. V.,* & omnes Auctoritates ibi in *Commentario* relatæ, quibus addo *Cherubin. in Compendio hic; & R.P.D. Petra in Comment. hujus Constitutionis num. 3. Roderic. quæst. Canon. de Regul. tom. 1. quæst. 48. art. 1. Tondut. quæst. benef. tom. 1. par. 1. cap. 10. n. 9. & tom. 2. verb. Monasteria Regularium n. 49.*

I. Continuo vexabantur Abbates, & Monaci Cistercienses à Patronis, & eis inferebantur quamplurima gravamina, dum Patroni, aut illi, qui habebant Advocatiam, & Custodiam eorundem Monasteriorum, extorquebant ab ipsis pro eorum libito bladum, frumentum, evectiones, animalia &c., in eorundem Monachorum Domibus, & Monasteriis vescabantur carnibus, & introducebant mulieres cum maximo periculo, & ipsorum detrimento; Hinc Gregorius IX. Monachorum quieti, ac indemnitati prospicere volens; etsi respectu cujuscumque Ecclesiæ Patronalis essent à supradictis *Canonibus* interdictæ Patronis hujusmodi indebitæ exactiones, tamen hic specialiter eis prohibuit quidquam exigere à præfatis Abbatibus, & Monachis; vesci carnibus in eorum Monasteriis, aut Domibus; ac in ea introducere fœminas; ut sic à publicis, & mundanis conspectibus separati, iidem Religiosi omnino servire Deo valeant liberius, & lascivienti opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora, in omni sanctimonia diligentius custodire, uti loquitur Bonifacius VIII. in *cap. unic. de Stat. regul. in 6.*

Quoad hanc Conclusionem sequentes examinantur Casus.

## ARGUMENTUM.

Patronus potest recipere Candelam in die Purificationis à Monachis Cisterciensibus illam spontè dantibus; & exigere ab illis, ea, quæ sibi competunt ratione Jurispatronatus.

## SUMMARIUM.

- 1 Gregorius IX. liberavit Monachos Cistercienses à molestiis Patronorum.
- 2 Patronis non est prohibitum recipere Candelam, die Purificationis, aut aliud à Cisterciensibus spontè dantibus.
- 3 Patronus exigere potest à Cisterciensibus retentionem scamni propè Altare majus Ecclesiæ Patronalis; & hujusmodi retentio non est ei deneganda; Amplia, ut num. 7.

- 4 Laicis Nobilibus non solum permessa est retentio sedilis in Ecclesia, sed etiam illud exoptulando denegari non valet.
- 5 Ceremoniale facit legem, & pro lege est servandum.
- 6 Retentio scamni in Ecclesia est effectus consecutivus, & promanans à jure patronatus.
- 8 Patronus non est privandus scamno in Ecclesia absque justa, & rationabili causa. Amplia, ut n. 9.
- 10 Patronus exigere potest à Cisterciensibus, aut à Rectore Ecclesiæ Patronalis notificationem omnium luitionum Censuum spectantium ad eorum Monasteria, ac consignationem notulæ instrumentorum & jurium concernentium dotem ejusdem Monasterii.
- 11 Potest etiam exigere ab eisdem Religiosis alimenta in casu inopiæ; & alia jura de quibus, num. 12.
- 13 Gregorius IX. non prohibuit exigere à Cisterciensibus ea, quæ de jure competunt Patronis ratione jurispatronatus.

## CASUS



## C A S U S I.

Occasione Festivitatís Purificationis accedens Patronus ad Ecclesiam Monasterii A Monachorum Cisterciensium de ejus jure patronatus, ad audiendam Concionem, quæ ibidem tenebatur in laudem Beatissimæ Virginis; instertit pro elargitione Candelæ, quam Monachi quolibet anno ipsi spontè tradebant; pro retentione scamni prope Altare majus; pro notificatione omnium luitionum censuum spectantium ad Monasterium, ac pro consignatione notulæ instrumentorum, & jurium concernentium dotem ejusdem Monasterii. Non repugnabant Monachi tradere Patrono solitam Candelam, solum renuebant cætera supradicta præstare; quæritur an Monachi ad ea teneantur, seu an Patronus possit ab ipsis ea omnia exigere.

1 Dispositio hujus Canonis negativam responsionem suadere videtur dum Gregorius IX. liberavit Monachos Cistercienses à molestiis Patronorum, prohibens his quicquam pro libito exigere ab illis occasione juris patronatus.

2 Sed veritas est in contrarium; Siquidem quod attinet ad Candelam, potest Patronus die Purificationis illam legitimè recipere à Monachis; quia prohibetur ab hoc Canone exigere, quod est propriè ab invitis extorquere, non verò inhibetur Patronis aliquid recipere à Cisterciensibus spontè dantibus; ut optimè animadvertit Cherubin. in compendio Bullar. ad hanc Constitutionem VII. Gregorii IX. pag. mibi 15.

3 Quò verò spectat ad alias prætentiones ejusdem Patroni, iste certò equidem exigere valet à præfatis Monachis, ut retineatur pro se, & eis de sua Familia scamnum prope Altare majus Ecclesiæ Patronalis; Hujusmodi namque scamni retentio, non solum est conformis dispositioni juris Canonici concedentis digniori usum sedilium, in Ecclesiis, & omnimodam præcedentiam in sessionibus, & in quolibet alio actu per Text. in cap. statuumus de major. & obediens. cap. cum olim de consuetud. ibique Gloss. verb. sessionibus Ciarlin. tom. 2. contrav. 119. n. 8. & n. 54. Gratian. cap. 210. num. 13. Rot. decis. 4. ex

num. 29. ad 33. coram Otthobon., & in Pampilonen. Præminentiarum 26. Junii 1702. S. Et seriatim, coram Reverendissimo Molines.

4 Præcipuè Laicis sanguinis nobilitate præfulgentibus, quibus non solum permessa est retentio sedilis in Ecclesia, sed illud exoptulando denegari non valet, cum id peculiariter sit præscriptum in Cæremionali lib. 2. cap. 13., in quo conceduntur hujusmodi Sedes Nobilibus, atque illustribus viris, dummodo extra Chorum, vel Presbyterium collocentur, ut per præcisa verba decernitur, ibi = Sedes autem pro Nobilibus, atque illustribus viris Laicis, plus minusve pro cujusque dignitate, & gradu ornatas decet extra Chorum, & Presbyterium collocari juxta Sacrorum Canonum præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta, jam inde ab Exordiis Christianæ Religionis introducta, ac longo

5 observata = Quod quidem Cæremoniale, cum fuerit à Clemente VIII. confirmatum, & extensum per universum Orbem Catholicum facit legem, ac pro lege servandum esse in omnibus Ecclesiis firmavit Card. de Lac. in Miscell. disc. 37. n. 10. Rot. dec. 647. n. 3. par. 4. tom. 3. rec.

6 Verum etiam eadem retentio scamni est effectus consecutivus, & promanans à Jure patronatus, vigore cujus competit patrono honor, & præminentia, & consequenter ipse Primus in Ecclesia Patronali, sive Sæculari, sive Regulari sedere debet; & præ cæteris sede nobilitati honorandus, ut firmavi superius Par. I. Can. I. & II. Cas. I. n. 4. & Can. IV. Cas. VII. n. 13.

7 Eoque magis cum probet se per quadragenariam, inò per immemorabilem consuetudinem esse in possessione retinendi scamnum in designato loco prædictæ Ecclesiæ; in qua possessione proinde venit manutenendus. Giovagnon. conf. 8. n. 12. & 23. Ciarlin. contrav. 119. n. 9. Manriq. tract. de Præced. q. 5. n. 4. & quest. 18. per tot. Palm. Nep. consult. 30. n. 11. Pignatell. consult. 7. n. 23. tom. 1. & consult. 48. num. 1. tom. 7. Sanfelice. decis. 333. per tot. Rot. in Pampilonen. Præminentiarum 7. Martii 1701. S. Iterum coram R. P. D. dell' Olmo, & 26. Junii 1702. S. Certius, coram Reverendissimo Molines, & in Baren. scamni 4. Junii 1703. S. Quamobrem, coram R. P. D. de Omaña. Non vero est ea spolian-



- 8 liandus, & privandus à supradictis Monachis absque justa, & rationabili causa, dum retentio dicti scamni pro Patrono, & tota ejus familia prope Altare majus, non est incommoda, nec præjudicialis Ecclesiæ, neque impeditiva functionum Ecclesiasticarum. *Paris. conf. 149. num. 2. & seq. lib. 4. Lara de Annivers. & Cappell. lib. 1. cap. 24. num. 12. Lagunez. de fructibus par. 1. cap. 30. §. 1. n. 29. & seq. Antonell. de loco legal. lib. 1. cap. 3. n. 55. Pignatell. tom. 7. consult. 48. n. 1.* Etiam in hypo-
- 9 tesi, quod retentio ex causa facultativa processerit; nam licet concessio fuisset, ab initio gratuita, ex post tamen effecta fuit necessaria, & irrevocabilis. *Roma-guer. ad Synod. Gerunden. lib. 3. tit. 14. cap. 2. num. 6. Giovagnon. d. conf. 8. n. 18. & seqq. Gratian. discept. forens. 110. n. 18. & seq., & alii in dicta Baren. scamni 4. Junii 1703. §. De jure cor. R.P.D. de Omaña.*
- 10 Potest etiam idem Patronus exigere à Cisterciensibus, quod sibi notificentur omnes luitiones censuum spectantium ad eorum Monasterium, quod propriis sumptibus ædificavit, & dotavit, ac etiam, quod sibi consignetur notula Instrumentorum, & jurium concernentium dotem ejusdem Monasterii; quia Patronus habet jus defendendi Ecclesias, & Monasteria Patrimonialia, ut dixi *Par. I. Can. IV.*, & curare debet, ut eorum bona conserventur, non dilapidentur, neque alienentur; ut in similibus terminis rescripsit *Rota in Barchinonen. Beneficiorum 30. Junii 1704. §. final. cor. R.P.D. Omaña.*
- 11 Sicuti posset exigere ab eisdem Cisterciensibus alimenta in casu inopiæ, deductis prius necessariis pro Monasterii, ac Monachorum sustentatione, & pro Divino Cultu, & reparatione Ecclesiæ, juxta firmata *Par. I. Can. III.* & tradit *Tamburin. de jure Abbat. tom. 1. disput. 7. quest. 5. n. 22.*
- 12 Ac etiam ab eisdem exigere, ut Missam offerre teneantur quotidie, si fieri potest, pro Animabus Patronorum defunctorum; quod Patroni tam vivi, quàm Defuncti participes fiant spiritualis fructus, quem dicti Religiosi orando, jejunando, aliæque pia opera tam communia, quàm particularia exercendo apud Deum lucrantur; quod postquam fuerit facta electio Ministrorum Monasterii, debet eam significare Patrono pro tempore, ad

effectum, ut si voluerit, suum honestum impartiat assensum, juxta dispositionem Sacrorum Canonum; dummodo hujusmodi conditiones in limine foundationis Monasterii fuissent à Fundatore appositæ, & à Sede Apostolica approbatæ; uti de facto approbatæ fuerunt ab Alexandro VII. de voto Sacræ Congregationis Concilii, in limine foundationis trium Conventuum Fratrum Congregationis Hispaniæ Ordinis B. Mariæ de Mercede Provinciæ Andalusie favore Ducum Medinæ Sidoniæ, ut apparet ex ejus Constitutione la 66. *Bullar. Rom. tom. V.*

Quin ullatenus obest eidem Patrono præsens Canon; quia Gregorius ibi non prohibuit exigere à Cisterciensibus, ea quæ de jure competunt Patronis, ratione Jurispatronatus, sed solum ea, quæ pro libito, occasione, & non ratione jurispatronatus, indebitè ab ipsis extorquebant, nimirum bladum, vinum, eveditiones, Animalia, & res alias pro ædificatione, ac munitione, suorum Castrorum, & Villarum, ac pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, & aliis usibus eorundem Patronorum.

## ARGUMENTUM.

An Imperatrices, & Reginae introduci possint à Patrono in Domus, & Monasteria Cisterciensium.

## SUMMARIUM.

- 1 Mulieribus est prohibitum ingredi Domos, & Monasteria Virorum, etiam si essent Fundatrices, ut num. 2. Limita, ut ibi.
- 2 Viris est prohibitum ingredi Monasteria Monialium, etiam si essent Fundatores; & n. 4. Limita, ut ibi.
- 3 Patronus introducere Potest in Domus, & Monasteria Cisterciensium Reginas, & alias Personas Regias. Et quare, vide n. 7.
- 4 Pontifex prohibendo Patronis introducere Fæminas in Domus Cisterciensium, intelligitur de illis Domibus, quæ sunt intrâ